



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. V. Quæ sint iudicia & signa humanæ voluntatis ad divinam
conformatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

Hieronymus Julianum submovens: Tu te putas, inquit, in virtutum culmine constitutum, si partem offeras ex toto Testamento vult Dominus, hostiam viventem: te da Deo, non tua.

CAPVT V.

Quæ sint indicia & signa humanæ voluntatis ad divinam conformata.

Nihil fecerunt militem Romani, qui non habuissent firma latera, & torolos lacertos ad quævis gestanda onera, insuper arma terrea & nitentia, & maximam in suum Imperatorem fiduciam. Nemo se jactet Christi militem, nemo se divinæ voluntatis studiosum credat, nisi certa in se signa deprehendat, suam voluntatem in omnibus pendere à divinâ. Quæ in te ut quis suipsius possit experimentum capere, hæc signa sive indicia observabit.

Signa voluntatem nostram à divinâ pendere.

§. I.

1. Signum. 1. **S**ignum. Omnia cupere ad divinæ voluntatis nutum facere, & ideo nihil ordiri rerum, ope divinâ non prius implorâ. Qui Dei voluntatem sequitur, nullum negotium aggreditur quin Deum sibi ante postularet adjutorem. Quod si quid majoris momenti videatur, aut factu difficilius, subsidium à Deo frequentius flagitat. Hoc legis instar sit iis qui seria tractant negotia, & ad clavum sedent, nil unquam temere aggredi, Domino non consulto. Nemo mortalium facile æstimet quantum hinc damni ferat Orbis universus, quot familiæ male regantur, quot regna & provincie male administrantur, quot injusta bella suscipiuntur, quot aliis ab aliis injuriæ inferantur, hac lege neglectâ. Hæc creberrimorum malorum origo, quod patres familias, gubernatores, principes, reges, sæpe homines sui sensus & arbitrii sunt, nec ratione agunt sed impetu; neque os Domini interrogant, sed ducem sequuntur Temeritatem: ingenio suo fidunt, humeris suis credunt, sibiipsis magni Atlantes. Hinc sæpe negotiorum chaos & sæda confusio, plurimorum damno.

Ios. cap. 9. vers. 14.

Machabæorum ducum ante omne prælium divini auxilii precatio. 2. Machab. cap. ult. vers. 21.

Ibid. v. 26.

Ibid. v. 27.

Consilium Cassiani ante omnes actiones.

Pamphilius nullum con-

Graviter impegerunt Israëlites Principes, quod in fidem receperunt Gabaonitas, & os Domini non interrogaverunt. Nos ab errore illorum nihilo cautiore, sæpe grandia molimur, & os Domini non interrogamus; sacerdotium ambimus, matrimonium contrahimus, terras & populos regimus, & tamen os Domini non interrogamus. Aliter longè generosissimi ducēs Machabæi, qui nullum unquam prælium inierunt quin os Domini interrogarent plus simplici vice. Etenim non solum ante pugnam, ad preces militem suum cohortati, & unâ cum milite precati sunt, sed & comprecationem hanc, dum pugnarent, continuarunt. Sic Judas Machabæus hostilem apparatus considerans, extendit manus in calum, & Dominum prodigia facientem invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. Nec ipse solum dux Machabæus ante congressum, os Domini interrogavit ardentissimis precibus, sed & copias suas ad idem faciendum exemplo suo accendit. Ita, qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt. Neque tantum ad pugnae initium, verum etiam in ipso pugnae furore, Deum assidue appellabant: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnificè delectati. Hoc est, os Domini serio interrogare.

Cassiani consilium est, ante omnes actiones, illud Ecclesiæ usurpandum: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Aut illud: Actiones nostras quasumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio, à te semper incipiat, & per te capta finiatur. Pamphilius certe hoc consuetudinis fuit, ut quoties consilium rogaretur, spatium ipse pete-

rectantis per rem Deo commendandi: nec enim respondit quidquam dare sustinuit, quin prius os Domini interrogasset. Et quidem mos iste huic viro tantum profuit, ut morti jam vicinus, non meminisse dixerit quippiam à se unquam dictum cujus penitus fuisset. Nimirum Deus interrogantibus se continuo respondet. Preparatiorem coram Deo audivit auris tua. Deo non nititur, nec ita dios divinam voluntatem exquirat, qui non rerum omnium initium à Deo ducit. Os Domini in rebus planè omnibus interrogandum est.

§. II.

2. **S**ignum veræ devotionis erga divinam voluntatem, est, grumnas & calamitates non tantum non expavescere præsentibus, sed eas ultro appetere cum absint. Et hoc eâ de causâ, quod Deus variè afflictis longè sit vicinior per gratiam, quam quibus omnia fluunt ad votum. Non sine delectatione cantans Jesseus vates: *Universum, inquit, stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Ambrosii & Chrysostomi sensu, Deus egrotum aut aliter afflictum iis consolationibus permulcet, ac si ei lectulum sterneret molliissimum. Sicut quandoque principes feminæ, ancillantur ægrotis non sine suavi miserationis affectu; sic Mater Domini, sic Christus Dominus singulare patrocinium gerunt hominis aut morbo, aut aliâ quavis calamitate pressi: modò sint qui se dignos præstent celesti hoc patrocinio. Romanus Sapiens multo religiosissime, pæne dixerim divinè hac de re philosophatus: *Nolite, obsecro vos, inquit, expavescere ista, quia Deus immortalis velut stimulus admover animis. Calamitas virtutis occasio est.* Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet: eos autem quibus indulgere videtur, quibus parere, molles venturis malis servat. Erratis enim si quem judicatis exceptum: veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. Quare Deus optimum quemque aut malâ valitudine, aut aliis incommodis afficit. Quare in castris quoque periculosa fortissimè imperantur? Dux letissimos mittit, qui nocturnis hostes aggreantur insidiis, aut explorent iter, aut prælidium loco deiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit, Male de me Imperator meruit, Sed Bene judicavit. Idem dicant quicunque jubentur pati timidus ignavisque flebilis: Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura pati posset.

Et quàm hoc congruè Sapientie proclamanti! *Quia sapientiam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se.* Ergo, fugite delicias; fugite enervatam felicitatem quâ animi permadeant, nisi aliquid intervenit, quod humanæ sortis admoveat, velut perpetuâ ebrietate sopiti. Hanc itaque rationem Deus sequitur in bonis viris, quam in dilectis suis præcepit, qui plus laboris ab his exigit, in quibus certior spes est.

Namquid tu invisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publicè verberibus admotis? illos ipsi patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros & semianimes rogant, perseverent vulngra præbere vulneribus. Quid Domini mirum, si durè generosos spiritus Deus tentat? namque quam virtutis molle documentum est. Verberat nos & lacerat fortuna? patiamur. Non est fœvitia: certamen est, quo sæpius hoc adierimus, fortiores erimus. Ad contemnendam malorum potentiam, animus patientiâ pervenit. Ignis aurum probat, miseria fortes viros. Quid miraris bonos viros, ut confimentur, concuti? non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incurfat: ipsâ enim vexatione contrahitur, & radices certius figit. Fragiles sunt quæ in apricâ valle creverunt.

En tibi,

En tibi, certissimum signum humanæ voluntatis in divinam velut transfuse, si illa hanc per ardua quoque & aspera non recuset sequi. Quisquis igitur totis amplexibus divinam voluntatem in se admisit, animosius sanè quam Demetrius ille inter ærumnas proclamabit: Hoc unum, mi Deus, de te queri possum, quod non ante voluntatem tuam mihi notam feceris. Prior enim ad ista venissem ad quæ nunc vocatus adsum. Vis opes à me aut famam auferre? hæc pridem offerre paratus eram. Vis liberos meos sumere? illos tibi sustuli. Vis aliquam partem corporis? Summe. Non magnam rem promitto. Brevi totum relinquam. Vis spiritum? Quid nisi nullam moram facio, quo minus recipias quod dedisti. A volente feres, quidquid petieris. Nihil cogor, nihil patior invitus, nec tibi, o mi Deus, servio, sed assentior. Hæc est vera geminæ voluntatis unio.

§. III.

Signum. Sui ipsius diffidentia quàm maxima. Hæc verè Christiana virtus est, vix nota priscis idololatris. Qui sibi dissidit, felicissimos etiam successus, non suis viribus, nec industria suæ tribuit, sed eos ex toto divinæ potentie ac bonitati adscribit, errores & quidquid ab his est, sibi imputat, observatque fidelissimè Augustini monitum: *Tota præsumptio tua Deus sit, ita ut agnoscas te absque Deo nil penitus posse, & in Deo omnia.* Nihilominus talis qui rebus suis omnibus diffidit, ac desperat, facit quod in se est, non negligit, tantò certiore fiducia in Deo nixus, quantò magis nullam in seipso. Scit se nihil posse, & posse omnia, sed cum Deo. Pro viribus quidem laborat, sed eventum laboris omnem à voluntate divinâ expectat, æquo animo ferens omnia ea quæ non sunt mala, nisi malè sustinenti.

Quàm longè aliter, qui sibi, qui suis viribus, suæque arti, qui suæ prudentiæ consiliis fidet; quàm ille in rerum suarum encomiis facundi, quàm seipsum liberali ore dilaudant, quàm interim in multis remisæ agunt, sui fiduciâ nimis?

At verò qui totus ex voluntate divinâ pendet, instar libræ, tantò magis alterâ lance in imum devertit, quanto illa ascendit altius.

Dux militiæ qui castrum defendendum suscepit, dum abest hostis, infirmiora loci & immunita considerat, de commensu providet, tormenta bellica disponit, contra omnem irruptionem se parat: scit enim hosti fidendum non esse. Ita Christianus: Morbis, inquit, & morti non fidam, sacramentis me præmuniam, precibus & jejuniis, velut armis me instruiam; non fido, nec mihi nec morti.

At temerarius & suæ virtuti confusus, satis se credit paratum in omnes hostium occursum, aut certè facillimam sibi sperat fore præparationem, cum res postularit: fidet sibi, & morti. Rectè de hoc utroque homine Salomon: *Sapiens, inquit, timet & declinat à malis, stultus autem transiit & confidit.* Sed infra fusiis, de hac pessimâ sui fiduciâ.

§. IV.

Signum. Fiducia in Deum maximè quâ nascitur, ut qui læsus aut offensus est, non continuò vindictam medietur, sed sibi ipse dicat: Deus hoc vidit, audit: Deus ulciscetur, idque suo tempore. Atque hoc uno hostibus omnibus evadit superior, quod certum habeat, licet illi Acheronta moveant, sibi tamen non plus nocituros, quàm Deus permittat. Sed dicas: Sunt qui nullam aliis nocendi occasionem negligunt; si damna nequeant inferre, emolumenta saltem aliorum impedire conantur. Sic est: verum qui Deo fidet, hoc agit, ne quid in se desideret industria, cetera omnia divinæ providentiæ committit. Huic obstat frustra nituntur improbi. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Quàm fraudulenter egit Laban cum suo ge-

Tom. I.

A nero Jacobi sponfam mercedem decies mutavit, ut res generi decurreret. Frustra fuit; in generi commodum cesserunt omnia. *Non dimisit cum Deus ut noceret illi.* Hierosolymis minatus est extrema Sennacherib, sed nec ipse nec exercitus ipsius vindices Dei manus effugit. Exercitum Angelus, ipsum interfecerunt filii. *Salvavit, Dominus Ezechiam & habitatores Hierusalem de manu Sennacherib.* *2. Paral. 32. v. 21.* *regis Assyriorum, & de manu omnium.* Itaque mi Christiane, fide Deo, & omnem illi vindictam permitte, ille Dominus ultionum est. Et hoc vel idololatæ te doceant. Tisaphernes dux Persæ, cum Agesilao fœdus icit, sed linguâ, non animo, mox enim cum ingentibus copiis adfuit, & & iussit Græcos cedere Asiâ. Agesilaus ad hanc legatorum denuntiationem intrepide: Duci vestro, inquit, referte, me ipsi amplas agere gratias, quod fœdus ruperit: eaque re Divos hominesque inimicos in se concitavit: ita copię meæ plurimum auferent ab hostis perfidiâ. Dictum proflus Christianum: *Sicut locutus est, salutem ex*

B inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Qui Deo fidet, omnes inimicos suos sibi vectigales habet, quia Deum habet faventem. Quidquid autem homo Deo nixus, desiderat, id omnium primò à Deo petit. Quâ in re hanc sibi regulam statuit: Hoc quod peto, aut mihi expedit concedi, aut non expedit, quod quidem Deus omnium optimè novit. Si expedit, aut id confectum largietur Deus, aut tempore opportuniore, ut interim mea quoque patientia exerceatur: Si neget Deus postulata, certissimus sum, id mihi non expedire quod petii. Hæc omnino ratione, neque aliter unquam supplices libellos Deo porrigit, qui divinæ voluntati se solum permittit. Qui hoc divinæ voluntatis arcanum ignorant, opem divinam aut non implorant, aut segnitè & remisè, & quàm hoc faciant, prius omnium aures fatigant, plurimorum gratiam ambiunt, atque si aliter nequeant, eam etiam muneribus in se derivant, favorem & dignitates velut in nundinis mercantur.

C Vidit Joannes, ille Dominus ocellus, Christum septenas stellas dextrâ gestantem. Et quæ sunt hæc stellæ in hac manu? Joannes ipse mysterium hoc evolvens: *Septem stellæ, inquit, Angeli sunt septem Ecclesiarum, seu, septem Aliæ Episcopi.* En, Episcopi & eorum mitra insulaque in manu Christi sunt. At verò si ipsam mitra dominum desideret, plurimi sunt qui suum ei caput offerunt, sed non primo rectoque cursu ad manum Christi pervolant. Equidem curritur, sed sæpe prius ad Principum Regumque, ad Præsulum & Antistitem manus pervenit, quàm ad Christi curratur. Idem fit in aliorum officiorum & dignitatum ambitu: humanus favor quaritur, divinus à paucis ambitur, aut certè post humanum.

Luculentus error; contrarium oportet agere: divinus ante omnia favor & voluntas expetenda: sceptræ & tiræ in manu Dei sunt: officia, dignitates, munia, magistratus, Deus dividit: ab illo penitus hæc petenda. *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocunque voluerit inclinabit illud.* Sicut olitor, horti sui rivulum sub potestate habet, nec ad proximam aut ad primariam semper arborem, sed sæpe ad debiliorem, aut quâ vult, aquam educit: ita cor regis, veluti rivus, omnis generis Præfecturas & munera continet; Deus instar hortulani (salvo hominis arbitrio) aquas ex hoc rivo in eos deducit, quos ipse delegit. Ideo stultissimè agunt, qui tot præces ac dona in aliorum aures manusque jactant, Deo interim vix eminus & obiter salutato. O deliria hominum! Purius ex ipso fonte petuntur aquæ.

§. V.

Signum. Omnia generoso silentio posse concoquere. Contemplare mihi patientissimum Jesum, inter innumera & convitia & tormenta generosissimè tacentem. Stabant Hebræi sacerdotes & constanter eum acculabant, Jesus autem tacebat: crimina illi diversa ob-

Yy

jectabant,

B. Maria in
summis
angustis
fuit maxi-
me taci-
turna.

Psol. 38.
v. 3. & 10.

Boeth. lib. 4.
de consol.
phil. prosa 6.

Loc. cit.

Psol. 120.
v. 1. & 2.
Eslh. cap. 3.
vers. 15.

Deut. cap. 8.
v. 16.

Quotidia-
no rerum
defectu di-
scimus.
omne bo-
num à Deo
tribui.

jectabant, Jesus autem tacebat: instabant illi validis clamoribus, & ad crucem hominem hunc postulabant, Jesus autem tacebat: jam in cruce pendentem irrisio- nibus acerbissimis flagellare non cessabant, Jesus au- tem tacebat. Nec aliter Mater Domini, in summis an- gustiis maximè taciturna. Observabat eam Joseph fer- re uterum, & ideo discessionem ab eà moliebatur. Non hic aliud mater quàm filius fecit, ut verè dicatur: Maria autem tacebat, & hoc omne divinæ voluntati ac provi- dentia committebat. Audiebat illa hominem sibi cha- rissimum, suum sanguinem mille calurniis appeti, Ma- ria autem tacebat: videbat illa filium innocentissimum sub crucis mole fatiscientem, in cruce gementem audie- bat, cernebat in gravissimis tormentis morientem, Ma- ria autem tacebat. Hunc filium & hanc matrem com- plures emulari felicissimè, cum gravissimorum etiam scelerum accusarentur, ipsi autem tacebant. Norat man- suetissimus rex David miram vim hujus silentii, ea- propter vim sibi faciens: Obmutui, inquit, & humiliatus sum, & filii à bonis. Idem mox repetit: Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti. Silentii causam non ad- fert aliam, quàm hanc ipsam, Quoniam tu fecisti. Ideo ille, quia voluntatis tuæ hoc esse video: Tua, mi Deus, voluntas hoc mihi silentium indixit.

Severinus Boëthius, ille scriptis & vitæ illustrissimus vir, insigniter prorsus: Quis autem alius, inquit, vel serva- tor bonorum vel malorum depulsi, quàm rector ac moderator mentium Deus? qui cum ex altâ providentiæ speculâ respicit, quid unicuique conveniat, agnoscit, & quod convenire novit, ac- commodat. Nunc igitur quidquid citra spem videas geri, rebus quidem rectus ordo est, opinionem verò tuæ perversa confusio. Qui verò se totum divinæ voluntati mancipat, non suæ opi- nioni, sed rerum ordini credit, quem omnem tanquam optimum probat silendo.

Fit quandoque ut excitatoris ingenii herus, servi ædes ingressus, discipiat, turbet, misceat omnia, & mox abeat, ne auctor deprehendatur in facto. Servus do- mum rediens, & omnem supellectilem disturbatam cernens, graviter quidem exandescit, at cum à suo do- mino id factum audit, silet & mitefcit. Ita David de se- ipso: Obmutui & non aperui os meum. Cur ita? Quoniam tu fecisti. Ita prorsus qui divinæ voluntati se totum obtulit, adversa sentit quidem, sed divinâ se Providentiâ solat- tur; vanis questibus nihil se profecturum non ignorans: Levavi, inquit, oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi: auxilium meum à Dignino.

Rege Assuero & Aman convivium celebrantibus, cuncti Judæi flebant. Sed quàm citò cruenta hæc tra- gedia mutavit, & in auctorem recidit, quidquid in alios mali pararat. Postquam afflicta ac probavit se Dominus, ad extremum misertus est tui. Si Lunam accessionibus dam- niſque mutabilem menstrua paupertas non inceſſeret, neciſſent philosophi eam lumen à sole mutuari: Sic & nos è quotidiano rerum defectu discimus, omne nobis bonum à Deo tribui. Agrotat quis? jam primum æsti- mare novit valetudinem, quam nunquam tanti fecisset, si nunquam perdidisset. Hæc quidem natura mortalium est, ut nihil magis placeat, quàm quod amissum est. Ca- lumnia aliquis patitur? jam capit quàm grave sit cri- men, alterius famam lædere; quod quamvis sæpius ipse fecerit, tamen leve quid judicavit. In egestatem quispiam deductus est? jam incipit meminisse, qualis olim in ege- nos fuerit. Itaque silet, & hoc ipsum contemplatione ex- pendens, divinæ se voluntati committit.

Sed agrè fortassis files? Ergo loquere: sed corde, sed Deo. Lingua taceat, mens preceat. Meditare silentium Christi coram Præſide; Mariæ coram improbis civibus, Davidis coram adversariis. Dignior & major tibi con- viciatur? tace; convitiatur æqualis? tace; vilior & minor convitiatur? Etiam tunc tace. Difficilius hoc, sed gene- rosius: illum sine, Deum adi: precare pro adversario, sic-

ut David, cujus est illud: Pro eo ut me diligere, detrabi- bant mihi ego autem orabam. Adversarium silentio, Deum precibus sibi conciliabat. Ergo sile, & divinæ voluntati te penitissimè perimere, illud assidue volvens animo, Quoniam tu fecisti.

§. VI.

6. Signum. Ardua & quæ vix fieri posse credantur, pro 6. Signum Dei honore aggredi. Quàm magnanimus hac in re Paulus! Scio, inquit, humiliari, scio & abundare: ubique & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati: Omnia possum in eo qui me confortat. Equè magno & excelsio animo David: In Deo meo, inquit, transgre- diar murum. Redeat Pericles, & Pyraos muros struat: quadraginta cubitis altos, tam verò latos, ut duo cur- rus inter se juncti amplius spatium non desideret, ego tamen, ait David, hos muros transgrediar. Redeat Carthaginienses, & triplicem educant murum omni- avo celebrem, ego tamen hunc ipsum transgrediar. Reviviscat Anastasius Imperator, menia condat octo pe- des lata, ego tamen hæc transgrediar. Redeat Babelis architec- ti, & turrim ædificent, cujus culmen peringat ad ca- lum, ego tamen & hanc transgrediar in Deo meo, quo- niam in illo eripiar à tentatione. Sed & majora magisque ardua promittens David: Intre, inquit, curram aciemus: in Deo meo transibam murum. Parum ei erat currere & su- dare, sed armis etiam indutus, & cataphractus vult cur- rere: parum ei erat, murum quantumcunque crassum aut altum transgredi, jam etiam transilire vult vel celo certantem molem. Celsior aut densior murus vix ulli obijcit, quàm sua cuique voluntas, hunc murum & transgredi necesse est, & transilire. Quis cogitet: Deus me patientem esse cupit, cupit esse castum, facilem de- re veniam inimicis, bene de aliis sentire, bene loqui me vult Deus. Ecce ego non idem velim? Profectò volun- tas mea hæcenus ut murus obſtitit: at ille me murus non terrebis; transgrediar, transiliam: Omnia possum in eo qui me confortat.

Qui res gestas Divorum evoluerit, illud regii pla- tis sapius pronuntiabit: Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, ipse dedit virutem & fortitudinem Sanctis suis. Et ut vetera te- ceamus, Franciscus Xaverius, è Societate Jesu, Japonum Apostolus, quanta vir iste pro Deo ausus, quanta potuit, quos muros non transgressus, quæ menia non transiluit, volasse illum dixeris, si quod aliter adire non posset. Deo ille fractus divinæque voluntate velut accin- ctus cucurrit, terras transiluit & maria. Queri solet non- nunquam stitulosus, videri pagum in se combustum, adeo sitim urget: videri potuisset Orbis in Xaverii pe- ctore combustus, adeo ille omnium salutem furebat. Et quod incendium Xaverius animo circumtulit, dum quibusdam quasi saltibus, ex Italiâ in Lusitaniam, ex Lu- sitaniâ in Indias, ex Indiis in Japonem, inde ad extre- mos Sinas sese penetravit, terram ex terrâ, mare ex ma- ri mutans. Opponis huic terræ marique pericula? Hæc, inquit, non timer qui Deo fidit: Silvarum tenebras? Sa- tis licet flamma in pectore: Infanientem Oceanum? Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem: La- tronum & piratarum insidias? Nec domi suæ turis est, quem divina voluntas non protegit. Ita Deo mixus, mis- rum omnem transiluit, ita trecenta millia barbarorum, uti Bozuius affirmat, Christo adjunxit. Hoc nemo igno- rat, arbitror, mille plerumque remoris retineri cogita- tem meliora. Sed perirumpendum est vi, & eludendum ad ardua, etiam si Satan cum omnibus suis furis, tot- que apparatu adverſetur. Christus nos in hanc rem ani- mans: Si habueritis fidem, inquit, sicut granum sinapis, dice- tis monti huic, transi hinc illuc: & transibit, & nihil impos- sibile erit vobis. Quisquis se totum divinæ voluntati tradi- dit, omnia se posse confidit.

§. VII.

Vt autem ea quæ diximus tam de cognitione divine voluntatis, quam de humane ad illam conformationem quantumcunque rudi perpeccissima fiant, in hanc epitomen dicta componimus.

Quidquid in Orbe fit (peccatum excipimus) à quo-
cunque aut quomodocunque fiat, divina id fieri volun-
tate dicendum est. Omnia quæ fiunt, vult Deus fieri;
quidquid autem Deus non vult, certissimò non fit. Hinc
sapienter Epicurus: *a Semper, inquit, illud potius volo, quod
fit. Atque ut hoc idem omnibus persuadeat: Ne postules,
ait, ea quæ fiunt, arbitrari tuo fieri. Sed si sapias, ita fieri quæque
velis, ut fiunt. Nam omnia quæ fiunt, sunt aliquo modo
effectus divinæ voluntatis. Quomodo posset aliquid perma-
nere, nisi tu voluisses? b clamat Sapientia. Solum peccatum
non vult, sed permittit: nam & peccatum impedire pos-
set, id tamen ob causas sibi notas non impedit. Hoc è
Theologiæ arcanis confirmamus: Theologi rem hanc
definiunt his verbis: Deus vult omne bonum creatum
actu existens, sed quidquid fit extra peccatum, est bonum
creatum actu existens; ergo quidquid in Orbe fit, hoc
Deus vult fieri, modò ablit peccatum. c Hinc ille ingenii
acutissimi Theologus: d Omnia, inquit, quæ fiunt aut
sunt, quæ fiunt aut facta sunt, quæ fiunt aut erunt, cog-
noscuntur à Deo in decreto suæ voluntatis. e Et nota,
mi Lector, liberas hominis actiones non eo impedit,
quod eas Deus ab æterno præviderit & voluerit; sed
Deus illas ideo voluit, quia futuras prævidit.*

Sed ulterius progrediamur: f Deus non tantum vult
fieri, quidquid in Orbe fit (semper peccato) sed id om-
ne reipsa semper exequitur quod melius est, imò quod
optimum est, hoc est, ut sic loquamur, ingenium Dei &
innata ejus propensio. g Istud dilucidè Basilus Magnus
adstruens: *Unum quidem hoc, inquit, habere in mentibus no-
stris præsumptum oportet, quod nihil eorum quæ nobis accidunt,
malum sit, aut tale, ut melius illo excogitare queamus. b
In eandem omnino sententia Damascenus concedens: Om-
nia, inquit, quæ Dei providentiâ fiunt, pulcherrimè ac divini-
sime fieri necesse est, atque ita denique ut meliori modo existere
possint nequeant. Præ omnibus audiendus hic Augustinus: i
Iustitia, inquit ille, veri & summi Dei factum est, ut non modò
sint omnia, sed etiam sic sint, ut omnino melius esse non possint.*

Quid clarius rationem audi. k Quidquid enim, inquit,
verè ratione tibi melius occurrerit, hoc fecisse Deum tan-
quam bonorum omnium conditorem. Neque enim tu potes ali-
quid melius in creaturâ cogitare, quod creatura artificè suggerit.

§. VIII.

Qvâ ratione autem Deus omnia quæ fiunt, fieri ve-
lit, peccata verò fieri permittat, exemplum poti-
mus hujusmodi. Jussit olim Summus Pontifex, Julius
II. ut Michaël Angelus inter pictores celeberrimus ex-
tremum Orbis judicium pingeret. Pictor operi manus
admovit, sed pro affectu quem in sacros proceres non
benignum gessit, præfules etiam & purpuratos Patres in
inferorum flammis collocavit. Pictorem suum sæpius
accessit Pontifex, neque nescit artificiosam hominis tem-
meritatem, & quamvis eam minimè probaret, certà ta-
men ex causâ dissimulavit videre, illud secum cogitans:
Modò finiat opus, mox in carcere penicilli sui errores
sentiet, pane solo & fonte cœnaturus. Hic certè Ponti-
fex supremi judicii tribunal pingi voluit, idque in em-
ulationem spectantium non in contemptum cujusquam
aut injuriam, eam tamen ob certos fines sciens volens-
que nò impedit: Ita Deus æternitati nos vult pingere, &
opera edere immortalia; at nos effectû & manu exerran-
tibus, jam hos, jam illos in Orco statuimus, hoc est, variè
injuri sumus in eos quos nobis hostes arbitramur. Sed
& alia plurima in opere faciendo delinquimus. Nihilom-
inus pictura rerum in Orbe diversissimarum elabora-

Tom. I.

A tur. Est enim mirabilis ærum omnium connexio, series
atque concinnitas, ut singula quæ seorsum deformia, aut
certè minus pulchra viderentur, ceteris adjuncta, sint
longè pulchriora. Deus autem morâ patientissimus ex-
pectat, dum omnis pictura hæc finiatur, errores nostros
plurimos, tanquam si non videat, dissimulat justissimis
de causis. Tandem supremo Mundi die patebit, quid
quisque dignum æternitate pinxerit, quid in picturâ er-
rarit. Sicut ergo Pontifex, aut Regum quilibet certum
quid ac destinatum vult pingi, pictoris autem arbitrium
non turbat, errores etiam permittit, ob causas sibi no-
tas: ita Deus omnia quæ fiunt, vult fieri, peccatum verò
permittit, sed permittit sciens & volens, cum illud im-
pedire possit. Ita rex David Joabæ belli duce est usus, cu-
jus flagitia minimè probavit, tamen diu dissimulavit.
Neque ullis hinc objecerit: Quare homo cogitur impe-
dire peccatum quando potest, & Deus non cogitur, qui
semper id potest. a Nam præterquam quod Deus sit

B Dominus & moderator omnium inrentus bono com-
muni, nos mancipia & servi, illud etiam accedit, quod
Deus è peccato, re omnium pessimâ, boni quid eliciat,
quod homo non potest. Augustinus b hoc summi opifi-
cis artificium admiratus: Ex omnibus, ait, consistit universi
tatis admirabilis pulchritudo, in quâ etiam illud quod malum
dicitur, bene ordinatum, & loco suo positum eminentius com-
mendat bona, ut magis placeant & laudabiliora sint, dum com-
parantur malis.

§. IX.

Sed objicias primò: Bona sint omnia, sint omnia
optima quæ Deus vult, sed certè non mihi sunt.
Audacissime mortalium, quid hic ais? *Æqualiter c cura l. 2. de Fide
est Deo de omnibus. Ita te, ita me, ita singulos curat provi-
dentissimus Deus, sicut universos; neque tantum quod
melius, sed quod optimum est semper, & tibi, & mihi
& singulis, & omnibus vult, & quod vult exequitur ef-
ficacissimè. Gregorius pulcherrimè: d Sic, inquit, intendit
omnibus, ut adsit singulis; sic adest singulis, ut simul omnibus
nunquam desit: sic summa regit, ut ima non delectat; sic imis præ-
sens est, ut à superioribus non recedat. Cura est Deo de omnibus.
De filiis, seu charissimis Dei amicis res certa & evidens:
sed nec circa damnandos alium se gerit: patet est, nu-
tritor est, defensor est usque ad ultimum vitæ momen-
tum: hic demum iudex, punitor, hic vindex est tam ob-
stinatè in se perfidia.*

Objicias secundo: Et quomodo tantam Dei provi-
dentiam ac curam tor sequuntur inconvenientia, ut miti
vocabulo utar, fiunt hic illic absurdorum absurdissima res actiones
quæque. Uti Deum dicere dormientem nolim, sic ad nostras libe-
minuta quævis vigilantem affirmare, num bene ausim?
O te oviculam, sed profecto malam quamvis credide-
rim hîc te alienam gerere personam. Utiq; Deus vi-
gilat ad quælibet vel minutissima. Joannes Damascē-
nus tuo stupori aptissimè respondens: e Deus, ait, nonnun-
quam aliquid absurdi & præposterè fieri permittit, ut per eam
actionem quæ absurditatis speciem habet, magnum aliquid &
admirabile conficiatur, quemadmodum per crucem hominibus solius pœnæ,
salutem comparavit. Num hæc negabis vera? Ergo Deus ab æterno,
non quidem peccata vult, sed efficaciter permittit, seu
permittit vult, & inde proventus elicit utilissimos sibi-
que maxime gloriosos. Augustinus perspicuè id asserens:
Propterea, inquit, f divine Providentiæ etiam ista dispositio tri-
buenda est, non quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat ri aliquo
cùm peccaverim. Quare licet homini secundum se specta-
to melius esset non peccasse; si tamen tota series naturæ
& gratiæ attendatur, multò fuit melius à Deo peccatum
permitti. Notum Ecclesiæ testimonium: g Felix culpa,
quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.
Hæc de divinâ voluntate tam cognoscendâ quàm am-
plectendâ. Utinam humana gens, vel hac unâ in re ex-
cutire desinat, & divinam voluntatem, quam facile
potest agnoscere, velit etiam promptè amplecti.

Y y 2

LIBER